

CAP. LVI.

Antidicomarianitæ cur sic dicti. Erroris eorum caput
vnum commemoratur.



Antidicomarianitæ appellati sunt, qui
Mariæ virginitati vsque adeò contradi-
cunt, vt affirment² eam post Christum na-
tum viro suo fuisse commixtam.

I *Antidicomarianitæ.*) A dogmate non autem
ab authore denominata est hæc hæresis. Dicun-
tur enim *Αντιδικομαριανίται* quòd sint *ἀντιδικοί* Ma-
ρίας, id est, Mariæ aduersarii, cuius virginitatem,
quantum possunt, oppugnant. Appellantur etiam
Antimaritæ & Heluidiani, ab Heluidio homine,
vt ait Hieronymus in scripto aduersus eum edi-
to, rusticano & vix literis imbuto, sed Auxentii
Ariani Episcopi discipulo. Vnde fit, vt Ariano-
rum sobolem hos quidam existiment. Alii Apol-
linaristarum *Ἀπολλινάριοι* & superfœturam obscœnis-
simam esse malunt, velut Epiphanius, quando qui-
dem huius sectæ error primùm ab Apollinario pa-
tre, post autem ab ipsius auditoribus conceptus
est, quem ante Heluidium vixisse nemo dubitat.
Cœpisse verò videtur suo separatòque ab Apolli-
naristis nomine & cœtu hæc hæresis sub Theodo-
sio Magno Imperatore & Syricio Roman. Episco-
po, anno à Christo passio 355. In Arabia verò pri-
mùm innotuit & propagata est, vnde in Gallias &
Italiam traiecit: sed statim tum ab Epiphanio Cy-
ri Episcopo in Oriente: tum ab Ambrosio in epist.
79. tum etiam Hieronymo Stridonensi, presbyte-
ro Romano in Occidente, repressa conticuit. Ne-
que